



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies
Meditationibvs illustratæ**

Paderbornæ, 1697

S. Barnabas Apostolvs. 11. Junii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62968)

in silvas incultas ejecta, nunquam non fructum tu-
lit, nec loco, nec tempori, nec fortunæ alligata.
Tu non aliter vis florere virtute, & fructus ope-
rum proferre, quàm si humectaris rore cœli, etc-
suis consolationum & bonæ fortunæ favoniis recre-
aris. Irruente vel levi flatu adversitatis, despondes
animum, & exarefcit pietas tua: *Nec recedendum, nec
recedendum, etiam si gravis tentationum fervor, utriusq;
hominis statum afflixerit: eligamus potius ardere quàm
sedere.* S. Bern. Ser. 3. de vig. nat.

3. S. OLIVA integro septennio inter Sylvestres
arbores & dumos virtutum exercitio floruit: ita &
rustior castitas servatur inter feras, quàm inter homines.
OLIVA tantâ mansuetudine erat inter bestias,
ut ad hanc olivam tanquam ad umbram suam re-
currerent, & qualis tu inter homines, Concives,
& domesticos? nunquid sicut leo in domo tuâ?

S. BARNABAS

APOSTOLVS.

11. Junii.

*Pacem sequimini cum omnibus &
Sanctimoniam, sine qua nemo vi-
debit Deum.* ad Hæbreos 12. cap.

HAbuit BARNABAS patriam Cyprum:
Magistrum in lege judaica Gamalie-
lem;

lem; in Christiana ipsum Christum. Apud hunc Virtus in collegium discipulorum LXXII. adlêgit; & melior deinde fortuna orbem perambulanti Paulo, aliquamdiu comitem addidit. Lystris postquam Paulus claudum in pedes erexit, urbs utrumque velut delapsa Numina excepit; jamque aras & viçtimas & geniales coronas paravit, in Paulo Mercurium, in Barnaba Jovem venerata. Et profectò, etsi, ut par erat, divinum honorem longè illi repudiârunt, officio tamen tunc melioris Mercurii functi sunt, Deumque Civibus nuntiarunt. Supervenientes quoque Judæi plausum lapidibus excitarunt, & his tantùm non sepultum Paulum, facilè hominem, non Deum esse probarunt. Barnabas etiam Salaminæ à Judæis multis tormentis exercitus, saxis ultimò obrutus, & in ignem conjectus est. Sed ex hoc etiam rogo suum coelo Phœnicem vidisses prodire, integro etiam corpusculo, quod D. Marcus terrâ composuit. Multò post, cùm in sedem Antiochenam invalisset, nescio quis hæresi pestilenti afflatus, vigilavit pro re Catholica etiam mortuus Barnabas, & Anthimo Salaminæ Episcopo tertium visus monuit, uti communis causæ

patroci-

patrocinium Constantinopoli apud Imp. susciperet; simul etiam indicavit, quo loco ossa sua & unà volumen, in quo Divi Matthæi Evangelium exaraverat (nobilissima cimelia) reperiret. Et verò utrumque in honore habuit Zeno Imp. & corpus templo augusto honoravit, volumen verò auro inclusit, rectè gemmam esse ratus. *Ex act. Apost. Ber. & Lip.*

MEDITATIO

De sanctitate uniuscujusq; in sua vocatione.

1. **U**T salvari, ita perire possumus in quolibet vivendi genere, cum in omni vitæ conditione peccare possimus: igitur ne fidas sanctitati vocationis, tum ad fidem, tum ad Religionem. Bonis operibus, non loco, non habitu, non professione, sanctitas continetur; in illâ tantum opera bona cum morientibus non moriuntur. Quâ ratione fungeris impositis tibi tuâ in vocatione officiis? *Non Hierosolymis fuisse, sed Hierosolymis bene vixisse, laudandum est. Hieron.*

2. Vitam vivas professioni consentaneam: alia quippe est virtus mundanorum, alia Religiosorum; aliter vivit vir Apostolicus, aliter solitarius. Vide vocationem tuam: servi penitus ejus spiritui: serva regulas, si habet; sin minus, Dei mandata. **Roga conscientiam**

conscientiæ tuæ Moderatorem, ut rectiorem tibi ac tutiorem salutis viam aperiat, à quâ nunquam discedas.

3. Sanctos imitare, qui eandem tenuerunt vivendi rationem: sed unum inprimis, quasi prototypum, tibi propone, quem invocabis, & pro virili studebis imitari: quodlibet vitæ genus Sanctos habet, etiamnum viventes, hos etiam imitare: compara vitam tuam cum eorum vitâ. Cœlum petimus: Cœlum speramus: ubi nimirum est noster thesaurus: sit ibi ergo cor nostrum, ubi volumus habere thesaurum nostrum. Tert.

S. ONUPHRIUS ANACHOR.

12. Junii.

*Non diligamus verbo; neque linguâ,
sed opere & veritate.* Joan. cap. 1.

ONUPHRIUM toto hirsutum corpore & Orara humani cultûs retinentem vestigia, poterat sanè silvarum monstris, & Satyrorum generi accensere Paphnutius, si in externa specie substitisset. At ubi gressus, vitæ genus, moresque didicit, dubitavit, hominemne potius, an Angelum diceret. In Thebana regione Monachum indutus, cum

de